



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

IX. Laus Dei in adversis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

cebimur, sustinenda æquanimiter adversa, acquiescendum Deo in eventis omnibus, Providentiæ divinæ ductum ubique intuendum: sed ex nostris solidiùs lubentiusque discemus, non tantùm accipienda de manu Dei quæcumque accidunt, verùm agendas etiam gratias, confitendumque illi, & cum benefecerit nobis, & cum malè fecisse videbitur. Vitium quidem olim Hebræis fuit disparia jumenta ad idem jugum trahere, bovemque & asinum jungere in arando: nec licuit lanæ linum in texendo vestiendoque miscere. At non prohibitum est ratiocinationem humanam divinis Fidei Christianæ documentis adjungere: modò subsequatur, ut famula; aut ad latus incedat, ut officiosa comes; non præcurat, ut inquieta ancillula; aut ex æquo agere vel dominari appetat, ut insolens socia.

IX. Refert Baronius ex Niceta anno 861. D. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, religionis causâ de solio & patria depulsum,

*Laus Dei  
in adversis.*

sum, in vicinam Byzantio insulam concessisse. Ibi dum ærumnas exilii in cœnobio, inter pia familiarium consortia & colloquia, solatur, Scythæ prædones occupatâ insulâ Monasterium invasere, & egestis spoliis, patratisque cædibus, nudum atque egenum reliquere. Occisi familiarium Ignatii duo supra viginti, & barbarâ immanitate, additis supra mortem ludibriis, membratim concisi. Inter tot jacturas, & tam acerba cruentaque spectacula, Ignatius, sublatis in cælum manibus & oculis, nihil conqueri auditus, Jobi solum verba ex animo ingeminare, *Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.* In ejusdem scholæ disciplina adoleverat Elisabeta, Hungariæ Regis Filia, Thuringii Principis uxor: quæ, nuntiatâ morte conjugis meritò dilectissimi, peregrè in Apulia, dum ad bellum sacrum proficisceretur, vivis erepti, tum relato ad se cadavere, ita naturæ dolorem persolvit, & simul Providentiæ divinæ submissionem exhibuit, ut inter lacrymas & suspiria iteraret,

## 14 BONA VOLUNTAS

ret, *Gratias tibi, ô Deus, quod corpus carissimi conjugis mihi reddideris. Scis nihil mihi illo in rebus mortalibus fuisse carius: nollem tamen vel unius capilli pretio eum ad vivos revocare, præter tuam voluntatem.* Eodem tempore per mariti fratrem ex ædibus proturbata, in ipso noctis silentio, ad cauponam divertit, donec à Franciscanis nocturnæ preces, quas Matutinas dicimus, inchoarentur. Tunc ex diverforio in templum ingressa, orantes Franciscanos rogavit, ut hymnum Te Deum concinerent, agendis Deo gratias, quod se non viduam solùm, sed etiam pauperem & extorrem esse voluisset. Ita Raderus narrat Bavariæ Sanctæ tomo I.

X.  
*Felicitas  
 laudan-  
 tium.* O verè homines bonæ voluntatis, quibus optima DEI voluntas, etiam cum mala hostium voluntate, ad eò placuit, ut damnis laudes, verberibus gratias rependerint! Fælices animæ & DEO dignæ, quarum pacem non imminuerunt calamitates suæ, sanctimoniam aliena vitia auxere. Meritò illis, DEUM per ærumnarum tenebras laudan-